

## Secundus de Anima

quod causatur a sensibili proprio ergo non diversificat immutationem ita quod sequatur alia cognitio vel iudicium. Item aut albedo quod est sine figura triangulari aliquid imprimi quod non imprimi color qui est cum figura triangulari vel non si primum habetur intantum. si secundum sequitur quod visus eodem modo mouetur.

**C**Secundo autem ad idem diversorum obiectorum non est eadem visio ergo alia visionem numero causat magnitudo et motus ergo aliquid in primum: primum patet quia primum manet visio magnitudinis cessante visioe motus. Item iste due visiones continentur a diversis speciebus. Item dicitur quod non omnia sensibilia communia sentiuntur a quolibet sensu scilicet figura et magnitudo ut dicitur **S. 2. 64.** Sed contra philosophi dicit quod sensibilia communia sunt communia omnibus magnitudo enim potest percipi per gustum sicut numerus et secundum quod res sunt diversarum figurarum primum care alium sonum. Item hec est in secundo modo presentatis magnitudo est sensibilis quod quantitas immediate est causa sensibilitatis sicut huius est causa risibilitatis per se ipsum. **S. 3. 1.** Sensibilitas coloris distinguitur realiter a colore sicut alie passionis si sic ergo color non sentitur per se ipsum sed illa sensibilitas.

Item color non potest videri sine quantitate sicut nec e converso quod ita per se videtur quantitas sicut color quod caret et imutat visum. Hic est dubitatur an quantitas est sensibile per se quod si quis ponat digitum super lapidem descendere non percipit quantitatem.

**T**ertio autem quod sensibilia communia non sunt sensibilia per se quod sentiuntur per alios scilicet per quantitates sensibiles. Item sensibilia communia non continentur per se sub obiecto proprio sensus particularis ut magnitudo sub colore quod non sentitur per se quod obiectum ad eam potest pertinere formaliter vel virtualiter ob id in quod potest talis potentia. Et ex hoc albedo sentitur per se quod per se pertinet sub colore.

**Q**uarto motus non habet partes permanentes. Sed omnis visio est permanens res ergo non est de non existente. Sit enim motus qui videtur a/b/c. Et sit a pars preterita b/pars futura tunc iste partes non sunt ergo non videtur nec potest dari aliquis motus qui una pars sit preterita et alia futura. Item numerus componitur ex indivisibilibus que non videtur nec sentiuntur eego numerus non est sensibile quod nullum sensibile componitur ex insensibilibus.

**Q**uinto arguitur quod quies non sentitur quia quies est privatio ergo non est sensibile per se. Item nichil quiescit nisi in tempore visio autem fit in instanti ergo quies non videtur.

**S**exto autem aer non videtur nec magnitudo eius quod non omnis magnitudo est per se sensibilibus. Antecedens patet per antiquos qui ex hoc putabant aerem nichil esse tum quod elementum in propria natura non est coloratum. Item oportet sensum esse denudatum ab eo quod percipit ergo quando visus mouetur non percipit motum nec magnitudinem quia in visu est motus et magnitudo.

**S**eptimo arguitur quod sint plura sensibilia communia quod 5. quia alacen et vitelio in suis perspectivis enumerant multo plura sensibilia communia scilicet distantiam/situm/corporeitatem/distinctionem/asperitatem/lenitatem/raritatem/densitatem/pulchritudinem/similitudinem/et istorum opposita.

**O**ctavo arguitur probando quod sensus decipitur circa proprium obiectum quod intellectus qui est virtus nobilior et certior quam sensus potest decipi circa proprium obiectum ergo et sensus. Hinc patet quia aliquando intellectus assentit propositionibus falsis et etiam decipitur circa quidditatem iudicando quidditatem

visus rei esse quidditatem alterius ut qui dixerunt animam esse corpus. Item visus decipitur circa suum proprium obiectum ergo et sensus. Hinc patet quia species rei visibilis per potentiam dei possunt conservari et representare visui rem visibilem ipsa re corrupta. Et tunc visus iudicans illud visibile esse decipitur.

**N**ono visus iudicat solem esse bipedalis quantitate ut docet experientia et tamen est maior tota terra ut dicunt astronomi et iudicat solem esse rubeum et tamen non est rubeus sed lucidus ergo decipitur.

Item visus iudicat yridem esse diversorum colorum tamen non est ita. Sicut carbonem ignitos rubeos et tamen sunt nigri igitur.

**D**ecimo Auditus circa suum audibile decipitur nam auditus unus iudicat sonum esse delectabilem quem auditus alterius iudicat esse tristabilem ergo unus decipitur cum unus et idem sonus non in delectabilis et tristabilis. Item ex his prope sonum iudicat sonum maiorem et interiorum quam ex his remote ab ipso igitur.

**U**ndecimo aliquando iudicamus de sono non existente ergo tunc auditus decipitur. Hinc patet quod existens ab una parte a que satis magne iudicat de sono causato ab alia parte postquam est corruptus. Item infirmis apparet quod audiunt tonitrua quando non sunt. Et idem potest argui de sono echos qui iudicatur in nemoibus cum tamen illis non sic igitur.

**D**uodecimo probatur quod gustus decipitur quod illa que sunt stiptica aliquibus apparet dulcia aliis non ergo gustus iudicat de proprio obiecto aliter quam sit. Item asini iudicant tribulos et cardones esse boni saporis et tamen opposito modo iudicat huius igitur gustus hominis vel asini decipitur.

**T**ertiodecimo autem sic homo intrans balneum calidum in principio iudicat ibi esse intensam caliditatem et tamen postquam per ipsum fuerit in balneo iudicat caliditatem ibi esse remissiozem in balneo ante et post manent eque calidum et idem dicendum de aqua frigida. Item iudicat aliquando unam rem esse duas res ut patet de tangente fabam digitis cacellatis.

**Q**uartodecimo olfactus sepe decipitur circa suum obiectum quod patet quod homo iudicat aliquos duos odores esse bonos et convenientes quos tamen alter non iudicat esse bonos et convenientes sicut mūdatores locorum turpium iudicant manum quam deponunt non esse fetidam: unde Anthonin<sup>9</sup> narrat de quodam infirmo ad mortem qui per appositionem stercoreis ad nasum recepit sanitatem et aliqui infirmam transeundo ante apothecariam propter odores et tamen alii iudicant tales esse convenientes ergo alii decipiuntur. Item canes iudicant cadauera fetida esse boni odoris et homo iudicat talia esse mali odoris igitur.

Posset hic queri an tempus sit sensibile commune quia non enumerat hic vni tamen intellectu comprehendit sed contra. 4. phi. sentimus tempus percipiendo motum. Hinc etiam haberetur memoria percipiunt tempus nec solum per motum sentimus tempus quod in carcerati et ceci a naturalitate non sentiunt motum tamen sentiunt tempus et sciunt se diu fuisse in carcere de his in. 4. phi.

**A**d primum dicitur quod magnitudine non caret species aliqua specialis propter species sensibilibus propriam quod non est aliquid positivum quod non potest care aliquo speciebus. Sed forte negaretur ista propterea quod auditus percipit silentium. Hoc autem est per species ab eo caret. Quidam dicit quod quies percipitur per speciem motus quod privatio cognoscitur per habitum. Sed contra cessante motu species eius non manet in visu alias motus qui non est possit videri. Item dato quod quis nunquam videri